

www.e-rara.ch

Omnes quae extant D. Hieronymi Stridonensis lucubrationes

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Basileae, [1536-1538]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: FM1 II 1-6

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62470>

Didymi de spiritu sancto liber tertius, interprete divo Hieronymo

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]


Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

bonus domui Israel, inferens nobis iuxta misericordiam suam, & iuxta multitudinem iusticiæ suæ. Et dixit: Non populus meus filij, & non præuaricabuntur. Et factus est illis in salutem ex omni tribulatione eorum, non legatus, neque angelus, sed ipse saluauit eos, eo quod dilexerit eos, & perpercerit eis. Ipse redemit eos & suscepit eos, & exaltauit eos in omnibus diebus seculi. Ipsi uero non crediderunt & irritauerunt spiritum sanctum eius, & conuersus est eis ad inimicitiam. Ipse debellauit eos, & recordatus est dierum antiquorum. Qui eduxit de terra pastorem ouium, qui posuit in eis spiritum sanctum, congregans dextera Moysen. Qui frequenter dei adepti sunt beneficia, scientes gratia magis & misericordia eius quam proprijs ex se fuisse operibus consecutos, quasi uno omnes consensu & animo concordantes loquuntur, misericordiam domini recordati sumus. Cogitantes enim quæ ab eo frequenter in Moyse dona susceperint, gratias referunt, & cum misericordia, etiam uirtutum domini recordantur, siue mirabilium quæ crebro pro eis fecit in populis, siue profectuum animarum, quibus per legem & prophetas & præcepta eius salubria eruditi sunt. Siquidem in scripturis nomen uirtutis utrumque significat. Recordari autem se misericordiam & uirtutum eius, inquiunt, in omnibus quæ retribuit eis, non iuxta iusticiam suam, sed iuxta misericordiam & bonitatem eius, qui est iudex domui uidenti, & sensui mundo corde cernenti dominum. Hoc siquidem ex Hebræo sermone in lingua nostra interpretatur Israel, id est, mens uidens dominum. Licet enim tormenta & cruciatus iudex nonnunquam inferat iudicium merentibus, tamen qui causas rerum altius intuetur, uidens propositum bonitatis eius, qui cupit corrigere peccantem, bonum illum confitetur, dicens: Inferat nobis iuxta misericordiam suam. Si enim iniquitates eorum quos iudicat attendat dominus, quis sustinebit? Porro quia apud dominum propiciatio est: dominus uidelicet noster atque saluator, infert nobis secundum misericordiam suam omnia quæ nos prouehant ad salutem. Inferens quoque iuxta misericordiam suam, & hoc faciens in iudicio, cum iusticia nobis tribuit, quæ admixta misericordiam bonitate largitus est.

✠ DIDYMI DE SPIRITV SANCTO

LIBER TERTIVS, INTERPRETE
diuo Hieronymo.



ARGVENDVS est ex præsentī capitulo hæreticorū error, qui bonitatem à iusticia separantes, aliū deū bonū, aliū iustū finxerunt. Ecce enim in præsentiarū ipse est deus & bonus & iudex, & iuxta misericordiam suam iusticiamque restituens: & pariter bonus iustusque subsistens. Frustra igitur iniquū dogma simulantes, bonum deum euangelij, & ueteris testamenti iustum esse defendunt: quia & in plurimis alijs locis & nūc in prophetæ sermone, iudex bonus scribitur deus, & e contrario quod nolunt in Pauli apostoli epistola (qui certe noui testamenti prædicator est) deus iustus iudex refertur. Reposita est mihi, inquit, corona iusticiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Idem est ergo licet nolint, noui & ueteris testamenti deus, uisibilem & inuisibilem conditor, saluatorem etiam in euangelio iustum & bonum patrem liquido attestante: Pater iuste, mundus te non cognouit. Et alio loco, Nemo bonus nisi unus deus. Sed & in ueteri lege alibi iustus, alibi bonus dicitur deus. In psalmis, Iustus dominus, inquit, & iusticias dilexit. Et e contrario in Hieremia, Bonus dominus his qui sustinent eum. Rursus in psalmis, Quam bonus deus Israel, his qui recto sunt corde. Et hæc quidem è latere contra hæreticos strictim dicta sunt. Tempus autem est, ut propositum prophetæ ordinem prosequamur, qui ita contextitur, Et dixit, haud dubium quin dominus, Nonne populus meus filij, nec præuaricabuntur? Non erant, inquit, similes his qui generati sunt & exaltati sunt, & eum qui genuit illos, despexere. Et factus est eis in salutem, id est, illis de quibus dominus ait, Nonne populus meus filij & non præuaricabuntur. Hoc enim ipsum quod non præuaricati sunt, nec sp̄euerunt patrem, eis factus

A factus est in salutem, uel ob id ipsum quod appellati sunt filij, causa eis salutis effectus est. Quæ salus à Christo domino contributa, angeli quoque ad pastores uoce firmatur, dicentis: Ecce euangelizo uobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Ipse factus est cunctis qui in eum credunt occasio salutis æternæ, & ipse est saluator mundi, qui uenit querere quod perierat. Et ipse est, de quo chorus sanctorum canit: Deus noster, deus saluandi. Quia igitur deus erat qui salutem præbebat æternam, dictum est, non legatus, neque angelus, id est, non propheta, non patriarcha, non legislator Moyses saluauit eos. Omnes enim quos nominaui, poterant ad dominum fungi legatione pro populo. Denique Moyses interpellans eum pro delinquente plebe, ait, Si dimittis eis peccatum eorum, dimitte, Sed obsecraui ueniam quadraginta diebus ieiunans, & misericordiam dei, animæ afflictione pro uocans. Nemo autem de horum numero legatorum potest esse saluator, indigens & ipse eo qui salutis largitor uerus est. Nam & angeli quamquam spiritus sint & ad diuersa propter eos qui salutem accepturi sunt, ministeria mittantur, non sunt tamen autores salutis, sed eum qui fons salutis est, interpretantur & nunciant. Vnde dictum est, non legatus, neque angelus, sed ipse dominus saluauit eos. Non propter aliud quid, sed propter id quod diligeret eos & parceret eis. Parcere autem dicitur, quasi creaturis suis, iuxta illud quod alibi scribitur: Parce autem omnibus domine amator animarum, quia tuæ sunt, neque enim odies quos fecisti. Quapropter & pro eorum salute proprio filio non parcens pater, tradidit eum in mortem, ut per mortem filij sui destructo eo qui habebat mortis imperium, hoc est diabolo, redimeret omnes qui ab eo captiuitatis uinculo tenebantur. Vnde subiicitur: Ipse autem redemit eos, & suscepit eos, & exaltauit illos. Suscipit enim exaltatque saluatos, & redemptos in sublime tollit uirtutum alis, & eruditione & scientia ueritatis, non ad unum tantum & alterum diem, sed in omnibus diebus æternitatis, habitans in eis, & cum eis, & usque ad consummationem seculi uitam eis tribuens, salutisque autor existens. Omnibus autem diebus seculi illuminans corda eorum, non sinit eos in tenebris ignorantie & errore uersari.

B Et hoc puto esse quod scriptum est, in omnibus diebus exaltari eos. Quia uero mutabiles & ad uitia sponte labentes, post tanta beneficia deo fuerunt increduli, & præcepta illius reliquerunt, & exacerbauerunt spiritum sanctum dei, qui eis multa bona largitus est: in peccatum simile corruerunt his qui postquam geniti sunt & exaltati spreuerunt patrem suum, Vel certe nunc ipsi describuntur, qui & ante descripti sunt: siquidem & ibi post peccatum dicitur ad eos: Dereliquistis dominum, & ad iracundiam concitastis sanctum Israel, & nunc quod ipsi non crediderunt & exacerbauerunt spiritum sanctum eius. Ex præsentis ergo loco societas spiritus ad dominum ostenditur. Qui derelinquit dominum & incredulus est, & ad iracundiam prouocat sanctum Israel, & exacerbabat spiritum sanctum eius. Eadem indignatio super peccatoribus tam ad spiritum sanctum, quam ad sanctum Israel refertur. Vnde & in consequentibus similis copula trinitatis ostenditur, dicente scriptura dominum ad inimicitias esse conuersum his qui exacerbauerunt spiritum sanctum eius, & tradidisse eos sempiterno cruciatui postquam non sermone, sed rebus in sanctum eius spiritum blasphemauerunt. Ipse igitur qui eis conuersus est ad inimicitias, debellauit eos & subiecit multiplicibus, longisque cruciatibus, ut nec in præsentis tempore, nec in futuro consequantur ueniam peccatorum. Exacerbauerunt enim spiritum sanctum eius, & blasphemauerunt in illum. Si autem uolueris hoc de Iudæis intelligere qui crucifixerunt dominum saluatorem, & ideo exacerbauerunt spiritum sanctum: id quod scriptum est: ipse debellauit eos, ad illam est intelligentiam referendum: quod Romanis traditi sunt, quando uenit super eos ira dei in finem. In uniuerso enim orbe cunctisque regionibus soli exules patrie, in terra regantur aliena, non urbem antiquam, non sedes proprias possidentes, id quod prophetis & saluatori suo fecerunt, receperunt. Quia enim sanguinarij & uesano semper furore capti, non solum prophetas occiderunt, lapidaueruntque eos qui ad se missi fuerant, sed ad impietatis culmen egressi, dominum saluatorem qui pro cunctorum salute descendere dignatus fuerat ad terras, prodiderunt & crucifixerunt, propterea expulsi sunt urbe, quam prophetarum & Christi cruore maculauerunt. Secundum igitur hunc sensum debellatos eos à domino intelligere debemus, non ad breue tempus, sed ad omne futurum seculum. Usque ad consummationem quippe mundi (ut

M 5 diximus

diximus) profugi atque captiui, in uniuersis aberrant nationibus, non urbem, non regionem propriam possidentes. Attamen quia naturaliter benignus est & misericors is qui eos debellauerat, tribuit eis locum poenitentiae, si uelint ad meliora conuerti. Vnde & dicitur: Recordatus est dierum seculi. Recordatus enim temporum futurorum, clausam ianuam aliqua ex eis parte reuerauit, ut postquam intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel (qui hac fuerit dignus appellatione) saluetur. Licet enim in id temeritatis eruperint, ut eum qui propter eos missus fuerat interficerent, dicentes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros: tamen deus suscitauit eum de terra, in cuius corde tribus diebus & tribus noctibus fuerat commoratus, pastorem ouium suarum. Siquidem ita contextitur: Qui eduxit de terra pastorem ouium suarum. Quod uero pastor ouium deus qui nunc prophetali sermone describitur dominus sit, manifestius in euangelio discimus, ipso saluatore testante: Ego sum pastor bonus, & animam meam pono pro ouibus meis. Et iterum: Oues meae uocem meam audiunt. Post haec omnia prophetis ait: Vbi est qui posuit super eos spiritum sanctum? Admiratur quippe de quanta felicitate ad quantas miseras peruenerint. Et quomodo loquitur? Qui eos redemerat, qui posuerat in illis spiritum sanctum suum habitans cum eis, ubi nunc est? quod abiit? Dereliquit eos: quia ipsi prius dereliquerunt, & ad iracundiam prouocauerunt sanctum Israel. Posuerat autem dubium in eis spiritum sanctum deus, cum adhuc boni essent, & praecipis eius obsequi niterentur. His enim tantummodo spiritus sanctus inseritur, qui uitij derelictis, uirtutum sectantur chorum, & iuxta eas & per eas in fide Christi uiuificant. Quod si paulatim negligentia suggerente, coeperint ad peiora confluere, concitant aduersum se habitorem suum spiritum sanctum, & eum qui illum dederat conuertunt ad inimicitias. Hinc quid simile & Apostolus ad Thessalonicenses scribens, ait: Neque enim uocauit nos deus ad immundiciam, sed ad sanctificationem. Itaque qui spernit, siue quod melius habetur in Graeco, qui praearicatur, non hominem praearicabitur, sed deum, qui dedit spiritum sanctum suum in uobis. Nam in his sermonibus deus uocans per fidem in sanctificationem, id est, ut sancti spiritus fierent credentes: dedit eis spiritum sanctum. Et quamdiu praecipia dei seruauerunt, permansit in eis spiritus sanctus quem acceperunt. Quando uero amore lubrico corruerunt, & ad immundiciam sunt delapsi, spreuerunt siue praearicati sunt dominum, qui dederat eis spiritum sanctum: ut non immundiciae deseruirent, sed ut sancti ficarentur. Vnde poenas luent qui ista commiserunt, non quasi hominem, sed quasi deum spernentes. Et ut sciamus dominum esse spiritum sanctum qui datur credentibus, ex ipsius prophetiae Esaiæ discamus eloquio, qui inducit ad quempiam dicentem dominum: Spiritus meus in te est, & uerba mea dedi in os tuum. Ostenditur enim ex sermone praesenti, quod qui acceperit spiritum dei, simul cum eo & uerba dei possideat, sermones uidelicet scientiae & sapientiae. Necnon & in alio loco eiusdem prophetiae deus loquitur: Dedi spiritum meum super eum. Qui ergo posuit in eis spiritum sanctum: Moysen dextera sua sanctificatum esse commemorat, siue illum illustre uirum & mysteriorum dei imitatore, de quo ad Iesum filium Naue dominus ait: Moyses famulus meus: siue legem suam, quae in ueteri scripta est instrumeto. Nam crebro legisse me memini Moysen appellatum esse pro lege: ut in Apostolo: Usque in hodiernum diem, quando legitur Moyses. Et Abraham ad diuitem in supplicijs constitutum: Habent, inquit, Moysen & prophetas. Et certe liquido comprobatur ibi, Moysen, non supradictum uirum significatum esse, sed legem. Porro quae est dextera dei quae adduxit Moysen, nisi dominus & saluator noster? Ipse est enim dextera patris, per quam saluat, exaltat & facit uirtutem: sicut alibi de eo dicitur: Saluauit sibi dextera sua & brachium sanctum eius. Et rursum: Dextera domini fecit uirtutem, dextera domini exaltauit me: non moriar, sed uiuam & narrabo opera domini. Et certe uocem hanc ex persona dominici hominis proferri, quem unigenitus filius dei assumere dignatus est ex uirgine, ex ipso loco manifestissime comprobatur, quia ipse est dextera dei, sicut scriptum est in Actibus apostolorum: quod factus sit ex femine Dauid secundum carnem, genitus de uirgine superueniente in eam spiritu sancto, & uirtute excelsi obumbrate eam. De quo Dauid prophetauit in spiritu: quod a mortuis resurgens, assumptus sit in caelos, dextera dei subleuatus. Scribitur ibi autem in hunc modum: Preuidens idem Dauid locutus est de resurrectione Christi, quoniam non est derelictus in inferno

A in inferno, neque caro eius uidit corruptionem. Hunc Iesum suscitauit deus, cui nos omnes testes
 sumus. Dexteram igitur dei eleuatus, & repromissionem spiritus sancti accipiens à patre, effudit hoc
 donum in nobis quod uos uidetis & auditis, neque enim Dauid ascendit in celos. Nulli quippe
 dubium, exaltatum dextera dei, & ab inferis resurgentem esse dominum Iesum, sicut ipse scriptu-
 ræ sermone testatus est. Iste ergo qui resurrexit à mortuis dicit: Ego dormiui & somnum cepi &
 resurrexi, quia dominus suscitauit me. Ipse ergo sermone dei assumptus in celum, eleuatus esse
 ab ea (de qua supra diximus) dextera dei prædicatur, & accepisse repromissiones spiritus sancti
 à patre, & effudisse illum in credentes, ita ut omnium linguis loquerentur magnalia dei. Nam &
 dominicus homo accepit communicationem spiritus sancti, sicut in euangelis scribitur. Iesus er-
 go repletus spiritu sancto, regressus est à Iordane. Et in alio loco: Reuersus est Iesus in uirtute spi-
 ritus in Galilæam. Hæc autem absque ulla calumnia de dominico homine qui totus Christus, u-
 nus est Iesus filius dei, sensu debemus pietatis accipere: non quod alter sit, sed quod de uno atque
 eodem quasi de altero secundum naturam dei & hominis disputetur, & quia deus uerbum uni-
 genitus filius dei, neque immutationem recipit, neque augmentum. Siquidem ipse est bonorum
 omnium plenitudo. Satis abundeque de prophetæ testimonio disputatum est. nunc ad reliqua per-
 gamus, ut quomodo scimus quod pater & filius, sanctos & bonos sui communicatione perficiunt,
 sic sanctus quoque spiritus, participatione sui, bonos efficiat sanctosque credentes, & ex hoc etiam
 unius cum patre & filio substantiæ esse doceatur. Dicitur in psalmis ad dominum: Spiritus tuus
 bonus deducet me in terram rectam. Scimus autem in quibusdam exemplaribus scriptum esse,
 spiritus sanctus tuus. Porro in Esdra absque ulla ambiguitate bonus spiritus appellatur, Spiritum
 tuum bonum dedisti, ut eos faceres intelligere. Quod autem pater sanctificet, Apostolus scribit
 dicens: Deus autem pacis sanctificet uos perfectos. Et saluator ait: Pater sancte, sanctifica eos in
 ueritate, quia uerbum tuum est ueritas. Perspicue dicēs, in me qui uerbum tuum sum & ueritas tua,
 sanctifica illos fide & consortio mei. Dictus est & alibi bonus deus: Nemo bonus nisi unus deus:
 B Superius quoque ostendimus quoniam filius sanctificet, Paulo in eadem uerba congruente.
 Etenim qui sanctificat & qui sanctificatur, ex uno omnes. Sanctificantem significans Christum,
 & sanctificatos eos, qui possunt dicere: Factus est nobis sapientia ex deo Christus, & iusticia &
 sanctificatio. Appellatur siquidem & spiritus sanctificationis. Vnde & ad eum dicitur: Et omnes san-
 ctificati sub manibus tuis, & sub te sunt. Bonus dominus noster Iesus Christus, & ex bono pa-
 tre generatus est, & de eo legimus: Confitemini domino quoniam bonus. Confiteantur autem
 illi qui ab eo aut ueniam obsecrant peccatorum, aut gratias referunt eius clementiæ pro indultis
 beneficiis. Spiritus quoque sanctus eos quos dignatur implere sanctificat, ut superius iam de-
 monstratum est, quando ostendimus eum participabilem & à multis simul capi posse. Et nunc
 in præsentis Pauli testimonio largitor sanctificationis ostenditur, in eo quod ait, Debemus au-
 tem & nos gratias agere deo semper pro uobis fratres dilecti à domino, quia elegit deus nos pri-
 mitias in salutem in sanctificatione spiritus sancti & fide ueritatis. Nam & in hoc loco charisma
 dei subintelliguntur in spiritu, cum in sanctificatione spiritus, fides pariter & ueritas possiden-
 tur. Quia ergo recte & pie & ut se ueritas habet hæc diximus, sanctificationis, bonitatisque uoca-
 bulum, & ad patrem, & ad filium, & ad spiritum sanctum eque referetur, sicut ipsa quoque appel-
 latio spiritus. Nam & pater spiritus dicitur, ut ibi: Spiritus est deus, & filius spiritus. Dominus,
 inquit, spiritus eius. Spiritus autem sanctus, semper spiritus sancti appellatione cæsetur, non quod
 ex consortio tantum nominis spiritus cum patre ponatur & filio, sed quod una natura, unum possi-
 deat & nomen. Quia uero spiritus uocabulum multa significat, numerandum est breuiter, quibus
 rebus nomen eius aptetur. Vocatur spiritus & uentus, sicut in Ezechiele: Tertiā autem partem di-
 sperges in spiritum, hoc est, in uentum. Quod si uolueris secundum historiam illud sentire, quod
 scriptum est: In spiritu uiolento conteres naues Tharsis, non aliud ibi spiritus quam uentus accipi-
 tur. Necnon Salomon inter multa hoc quoque munus à deo accepit, ut sciret uiolentias spirituum,
 non aliud se in hoc accepisse demonstrans, quam scire rapidos uentorum flatus, & quibus causis
 eorum natura subsistat. Vocatur & anima spiritus, ut in Iacobi epistola, Quomodo corpus tuum sine
 spiritu mortuum est, & reliqua. Manifestissime enim spiritus, hic nihil aliud nisi anima nuncu-
 patur.

patur. Iuxta quā intelligentiam & Stephanus animā suam spiritū uocans: Domine, inquit, Iesu c
 suscipe spiritū meū. Illud quoque quod in Ecclesiaste dicitur: Quis scit an spiritus hominis ascendat
 sursum, & spiritus iumentī descendat deorsum. Considerandū utrum nā & pecudū animę spiritus
 appellētur. Dicit etiam excepta anima, & excepto spiritu sancto, spiritus alius quis esse in homine,
 de quo Paulus scribit: Quis enim scit hominū ea quę sunt hominis nisi spiritus hominis q̄ in eo
 est. Si enim uoluerit cōtendere quispiā animā hic significari in spiritu, quis erit homo, cuius cogi
 tationes & arcana secreta cordis occulta nesciat homo, nisi spiritus eius: quia de corpore solitario
 hoc intelligere uelle perstultū est. Quod si arguta nititur fraude surripere, de spiritu sancto hęc scri
 pta contestans, si diligenter uerba ipsa cōsideret, cessabit asserere mendacium. Si quidem ita scri
 ptum: Quis enim scit hominū quę sunt hominis nisi spiritus hominis qui in eo est. Sic & ea quę
 sunt dei, nemo scit nisi spiritus dei. Quomodo enim alius est homo, alius est deus, sic & spiritus
 hominis qui est in eo separatur à spiritu dei, qui est in eo, quem spiritum sanctum frequenter o
 stendimus. Sed & in alio loco idem Apostolus à nostro spiritu, spiritum dei secernēs, ait: Ipse spi
 ritus testimonium perhibet spiritui nostro, hoc significans, quod spiritus dei, id est, spiritus san
 ctus, testimonium spiritui nostro præbeat, quem nūc diximus esse spiritum hominis. Ad Thes
 salonicēses quoque: Integer, inquit, spiritus uester & anima & corpus, Sicut enim alia est anima
 & corpus aliud, sic & aliud est spiritus ab anima, quę suo loco specialiter appellatur. De quo &
 orauit, ut integer cum anima seruetur & corpore, quia incredibile est, atque blasphemū orare apo
 stolū, ut spūs sanctus integer seruetur, qui nec immutationem potest recipere, nec profectū. De
 humano ergo, ut diximus, spiritu in hoc loco apostoli sermo testatus est. Appellatur quoque sup
 nę rationabilesque uirtutes, quas solet scriptura angelos & fortitudines nominare, uocabulo spiri
 tus, ut ibi: Qui facis angelos tuos spiritus. Et alibi: Nōne omnes sunt administratores spiritus?
 Puto ad hunc sensum & illud referri, quod in Actibus apostolorū scribitur: Spiritus domini ra
 puit Philippum, & non amplius eum uidit eunuchus, id est, angelus domini in sublimē eleuans
 Philippum, transtulit illum in alium locum. Rationales quoque alię creaturę, & de bono in ma
 lum sponte propria profluentes, spiritus pessimi & spiritus appellantur immundi, sicut ibi: Cum
 autem spiritus immundus exierit ab homine. Et in consequentibus: Assumit septem alios spiri
 tus nequiores se. Spiritus quoque dæmones in euangelis appellantur. Sed & hoc notandum,
 nunquam simpliciter spiritum, sed cum aliquo additamento spiritum significari contrarium, ut
 spiritus immundus, & spiritus dæmonis: hi uero qui sancti sunt spiritus, absque ullo additamento
 spiritus simpliciter appellantur. Sciendum quoque quod nomen spiritus, & uoluntatem hominis
 & animi sententiam sonet. Volens quippe apostolus uirginē non solum opere, sed & mente san
 ctam esse: id est, non tantum corpore, sed & motu cordis interno, ait, ut sit sancta corpore & spi
 ritu, uoluntatem spiritu, & corpore opera significās. Considera utrum hoc ipsum in Esaia, sonet
 quod scriptum est: Et scient qui spiritu errant intellectum. Qui enim errore iudicij alia pro alijs
 bona existimāt, accipient intellectū ut corrigatur error illorū, ut pro prauis ea quę recta sunt eli
 gant. Necnon & illud, Vna fortitudo spiritus uestri, uide an id ipsum ostēdat. Et super omnia uo
 cabulum spiritus altiore & mysticū in scripturis sanctis significat intellectū, ut ibi, Litera occi
 dit, spiritus autē uiuificat, literam dicens simplicem & manifestam iuxta historiā narrationē, spiri
 tum uero, sanctū & spirituale esse quod legitur. In hanc cōgruit uoluntatem & illud, Nos sumus
 circuncisio, qui spiritu domino seruiētes sumus, & non in carne confidentes. Qui enim nō litera
 carnē concidūt, sed cor spiritu circuncidūt, auferentes omne eius superfluum quod generationi
 proximū est & amicum, hi uero spiritu circūcisi sunt, in occulto Iudæi & uere Israelitę, in quibus
 non est dolus. Qui transcendent umbras & imagines ueteris testamenti, cultores ueri adorant
 patrem in spiritu & ueritate. In spiritu, quia corporalia & humilia transcenderunt. In uerita
 te, quia typos & umbras & exemplaria relinquentes, ad ipsius ueritatis uenere substantiam, & ut
 iam diximus, humili & corporeā uerborum simplicitate contempta, ad spirituales legis notici
 am peruenerunt. Hęc interim iuxta possibilitatem ingenij nostri, quot res spiritus significaret
 attigimus, suo tempore qd unumquodque significet, si Christus tribuerit disserturi. Nonnun
 quam autem spiritus, & dominus noster Iesus Christus, id est, dei filius appellatur. Benignus si
 quidem

A quidem est spiritus sapientiae. Et in alio loco: Dominus autem spiritus est, ut ante diximus: ubi etiam illud adiunximus: spiritus deus est, non iuxta nominis tantum communionem, sed iuxta naturae substantiaeque consortiū. Quomodo enim quorum diuersa substantia est, interdū euenit ut cōmuni uocabulo nuncupentur: & haec dicuntur *ὁμώνυμα*, ita eorum quorum eadē est natura atque substantia, cū societate uocabuli, naturae quoque aequalitas copulatur, & disciplinae dialecticorum est appellare haec *συνώνυμα*. Idcirco & spiritus uocabulū & si quid aliud in trinitate usurpari solet *συνώνυμον* est, uerbi gratia, spiritus bonus, & cetera his similia, de quibus pauloante perstrinximus. Porro ad haec necessario deuoluti sumus, ut quia frequenter appellatio spiritus in scripturis est respersa diuinis: non labamur in nomine, sed unūquodque secundū locorum uarietates & intelligentias accipiamus. Omni itaque studio ac diligentia uocabulū spiritus, ubi & quomodo appellatū sit contēplantes, sophismata eorum & fraudulentās decipulas cōteramus, qui spiritū sanctum asserunt creaturā. Legentes enim in propheta. Ego cōfirmaui tonitruū, & creans spiritū: ignorantia multiplicis in hac parte sermonis, putauerunt spiritū sanctum ex hoc uocabulo demonstrari, cum in praesentiarum spiritus nomen uentū sonet. Necnon in Zacharia audiētes locutū dominū, quod ipse sit qui creat spiritū hominis, in eo existimauerūt spiritum sanctum, etiā in hoc capitulo significari, non animaduertentes quod animam hominis, aut spiritum quem tertium in homine esse iam diximus, spiritus appellatio significet: Ergo ut praelocuti sumus, quomodo unumquodque dictum sit consideremus, ne forte per ignorantiam in barathrum decidamus erroris. Siquidem in alijs rebus ex consortio uocabulorum error eueniens, confusionē & pudorē ei qui errauit importat: de superioribus uero & diuinis lapsus ad praua, ad aeternā poenam deducit & barathrū: maxime cum semel deceptus noluerit resipiscere, sed suum defensare impudenter errorem. Decebat etiā, & magnitudo uoluminis exigebat, ut finem acciperet oratio. Verū quia infert se quaestio aduersus ea quae superius disputauimus: quam iccirco tunc praetermisimus, ne textū sermonis irrumperet: & interpiam praedicationē, impia cōtentio poneretur: necessarium puto ad propositū respondere: & lectoris arbitrio quid super his sentiat derelinquere. Disputantibus ergo supra quod animam uel mentem hominis nulla creatura iuxta substantiam possit implere, nisi sola trinitas, quia tantummodo secundū operationem & uoluntatis errorem siue uirtutē, animus de his quae creata sunt impletur: oborta est quaestio nostra, quasi sententiā soluens, quod creata substantia quae in scripturis Satanas appellatur, ingrediatur in aliquos: & cor quorundā implere dicatur. Nā ad eum qui medietatē precij de agro uendito sibi aliud profitens referuarat, à Petro apostolo dictū est: Anania quare impleuit Satanas cor tuum? Et de Iudā loquitur ipse saluator, quod intrauerit in eum Satanas. Ad quod postea respondendum est: interim nunc ad id quod scriptum est, quare impleuit Satanas cor tuum: quomodo Satanas mentem alicuius & principale cordis impleat: non ingrediens in eum, & in sensum eius: atque ut ita dicā adytum cordis introiens: siquidem haec potestas solius est trinitatis: sed quasi callidus quidā & nequā ac fallax fraudulentusque deceptor, in eos animā humanā maliciae affectus trahit, per cogitationes & incentiua uitiorū, quibus ipse plenus est. Denique & ipse Elymas magus filius diaboli iuxta maliciā nequitiāque subsistēs, plenus omni dolo & omni malicia scribit, Satana patre eius hac ei uoluntatē quasi ex consuetudine uitiorū in naturam uertente. Arguens itaque eum apostolus Paulus atque corripuens ait: O plene omni iniquitate & omni dolo, fili diaboli, inimice iusticiae dei. Quia enim uersipellis & callidus, omnem in se dolum fraudulentiae susceperat, appellatur filius diaboli, quia implebat ipse omne principale illius fraude & iniquitate & omni malicia: intantum illiciens eū atque decipiens, ut ipse Satanas impleuisse animā ipsius, & habitare in eodē putaret: quē ad omnes suae peruersitatis dolos, ministrū sibi ac famulum praeparauerat. Ad id uero quod secundum posueramus exemplum, quia in Iudam introisset Satanas: hoc dicendum est. Obseruans diabolus quibusdam motibus & operationum signis, ad quae potissimū Iudae cor esset uitia procliuus, deprehēdit eum patere insidijs auariciae: & reperta cupiditatis ianua, misit in mentē eius quomodo desideratam pecuniam acciperet, & per occasionē lucri, proditor magistri & saluatoris sui existeret, argentum pro pietate commutans, & suscipiēs precium sceleris à pharisaeis atque Iudaeis. Haec ergo cogitationis occasio, locum tribuit Satanae: ut in cor eius introiens, impleret eū pessima uoluntate. Introiuit ergo, non secundum

secundum substantiā, sed secundum operationē: quia introire in aliquē, increatæ naturæ est eius, c
 quæ participet à pluribus. Imparticipabilis ergo diabolus est, nō creator, sed creatura subsistēs.
 Vnde & cōuertibilis atq; mutabilis, ē sanctitate decidit atq; uirtute. Diximus supra μετοχικῶς,
 id est, quod participatione capiatur, esse incorruptibile & immutabile & consequēter æternum.
 Quod autē mutari potest, factū esse, & habere principiū. Porro quod incorruptibile sit, esse &
 retro & deinceps sempiternū. Non ergo ut quidā putant participatione naturæ siue substantiæ
 implet quēpiā diabolus, aut eius habitator efficitur: sed per fraudulentia & deceptionē & ma-
 litiam inhabitare in eo creditur quē repleuit. Hac autē fallacia etiā presbyteros qui aduersus Su-
 fannam in crudelitate se uerterant intrauit: implens animas eorum incendio libidinis & fera senij
 uoluptate. Scriptū est enim: Venerūt autē & duo presbyteri pleni iniqua cogitatione. His insidijs
 impleuit & uniuersum populum Iudæorū, dicente propheta de eo: Væ gens peccatrix, populus
 plenus peccatis, semen pessimū, filij iniqui. Semen quippe nequā diabolus: & filij eius propter ini-
 quitatem & plenitudinē dicti sunt peccatores. Si autē ab his qui eius in scripturis filij nominan-
 tur, iuxta substantiæ participationē non capitur: siquidē impossibile hoc esse in creaturis frequē-
 ter ostēsum est: neq; alius quis potest eū capere participatione substantiæ: sed tantūmodo assūm-
 ptione fraudulentissimæ uoluntatis. Operationē quippe & studia, nō solum bonorum operum,
 sed etiā malorum in creaturis diximus: naturam uero atq; substantiā solius in alios posse trinita-
 tis intrare. Abunde ut reor occursum est propositæ quæstioni, Quia uero ineptum & stultū uide-
 tur aduersus fatua respōdere: & siquid in buccā ruerit impiorū, hoc uelle dissoluere: nō enim tan-
 tum impietas est scelerata proponere, quantū & de sceleratis saltem resistentem uelle tractare:
 idcirco illud quod solent tractare prætereo, sacrilega aduersus nos audacia proclamantes. Si spi-
 ritus sanctus creatus non est: aut frater est dei patris, aut patruus est unigeniti Iesu Christi, aut fi-
 lius Christi est, aut nepos est dei patris, aut ipse filius dei est, & iam non erit unigenitus dominus
 Iesus Christus cū alterū fratrem habeat. Miseri atq; miserrabiles, nō sentientes de incorporeis & in-
 uisibilibus iuxta corporaliū & uisibiliū disputari non licere naturā. Fratrem esse uel patrum, nepo-
 tem uel filium, corporū nomina sunt, & imbecillitatis humanæ uocabula. Trinitas uero omnes
 has prætergreditur nuncupationes. Et quotienscūq; in aliqua de his cadit, nominibus nostris
 & incōgruis uocabulis, nō sua natura loquitur. Cum igitur sancta scriptura amplius de trinitate
 non dicat, nisi deum patrē esse saluatoris, & filiū generatum esse à patre: hoc tantummodo debe-
 mus sentire quod scriptū est. Et ostenso quod spiritus sanctus increatus sit: cōsequenter intellige-
 re, quōd cuius non est creata substantia, recte patri filioq; societur. Hæc iuxta eloquiū nostri pau-
 pertatem in præsentī dicta sufficiant: timorē meum quod de spiritu sancto loqui ausus sim indi-
 cantia. Quicūq; em̄ in eum blasphemauerit: nō solum in hoc seculo: uerum etiā in futuro nō di-
 mittetur ei, nec ulla misericordia & uenia reseruabitur illi, qui conculcauerit filiū dei & iniuriā
 fecerit spiritui gratiæ eius in quo sanctificatus est. Quod quidem & in deo patre est intelligen-
 dum. Nam qui blasphemauerit in eum & impiē egerit: sine uenia cruciabitur, nullo pro eo domi-
 num deprecante, sicut scriptum est: Qui autē in dominum deum peccauerit, quis orabit pro eo?
 Necnon & qui filium negauerit coram hominibus: negabitur ab eo coram patre & angelis eius.
 Ergo quia nulla uenia in trinitatem conceditur blasphemantibus: omni studio & cautela est pro-
 uidendū, ut ne in breui quidē paruoq; sermone de ea disputantes, labamur. Quin potius si quis
 hoc uolumen legere uoluerit, quæsumus ut mundet se ab omni opere malo & cogitationibus
 pessimis, quo possit illuminato corde ea intelligere quæ dicuntur, & plenus sanctitate atq; sapien-
 tia, ignoscere nobis sicubi uoluntatē nostram non impleuit effectus: & tantummodo consideret
 qua mente quid dictum sit, nō quibus expressum sermonibus. Sicut enim pietatis sensum nobis
 audaciter iuxta nostram conscientiam uendicamus, ita quantum de eo loqui pertinet, uenusta-
 tem rhetoricam facundiamq; iuxta consequentiam textumq; sermonis, nos procul abesse sim-
 pliciter confitemur. Studij quippe nostri fuit, de scripturis sanctis, differentibus, piē intelligere
 quæ scripta sunt: & imperitiā mensuramq; nostri non ignorare sermonis.

INDEX CHARTARVM.

abcdefghijklmnopqrstuvwxyz.
ABCDEFGHIJKLM.

Omnes terniones præter M quaternionem.

EXIMIA HAEC DIVI HIERONYMI STRIDONENSIS OPE/
ra, quibus postremum recognoscendis immensum laborem ac diligentiam DES.
ERASMVS Roterodamus impendit, excusa sunt Basileæ in officina
Frobeniana typis & ære Hieronymi Frobenij & Nicolai
Episcopi Chalcographiarum sociorum, abso-
lutaq; mense Augusto An.
M. D. XXXVII.



